

Z e
3646





QK. 271

IV, 521

INCLITO SVMMOQVE VIRO
I O N A E
SCHRIMPFIO

IN AVLA CAESAREA
CONSILIARIO ELECTORALI SAXONICO
ATQVE RESIDENTI

PER IPSOS QVINQVAGINTA ANNOS
IN CVRSV RERVM

AC SENIO FORTVNATO

PIE APVD VIENNENSES MORIENTI

A. D. VII IANVARII, CIO IDC XCVI

SVPREMOS HONORES

IN ACADEMIA IENENSI

ORATIONE PARENTALI SERVAVIT

VIRTVTVM DEFVNCTI

AC BENEFICIORVM IN SE COLLATORVM

SEMPER MEMOR

ERASMVS SIGISMVNDVS ALKOFER,
RATISBONENSIS.

I E N A E
LITTERIS GOLLNERIANIS.



NOBILISSIMAE MATRONAE
MARIAE CATHARINAE
SCHRIMPFÆ

NATAE LEVTNERIAE

OBITVM MARITI

ET FILII

NUPER ADMODVM DEFVNCTI
INCONSOLABILITER LVGENTI

PARITER ET

NOBILISSIMO CONSVLTISSIMO QVE VIRO
IOHANNI BEKIO, ICto

IN AVLA CAESARIS

AGENTI SAXONICO ELECTORALI
SINCERO SCHRIMPFIANI NOMINIS AESTIMATORI
PATRONO HONORATISSIMO

HOC QVIDQVID EST
HVMILI AC DEMISSO OBSEQVIO
SACRAT

ERASMVS SIGISMVNDVS
ALKOFER.



Magnifice Dn. Rector,

V I R I

*Magnifici, maximè Venerandi, Nobilissimi,
Consultissimi, Experientissimi, Amplissimi
atque Excellentissimi,*

*Domini & Patroni honoratissimi,
Tuque*

*Generosa, Nobilissima, Doctissimaque
Studiosorum Corona!*

Homines in hoc mortalium con-
fortio immortale nihil præter vir-
tutem tenere, haud perperàm
statuerunt sapientes. Annon vita nostra
perit? Spiritus abit? Viresque nostræ defici-
unt?

A

unt?

unt? Annon sensus nos anhelantes dese-
runt? Nonne corpus putrescit ipsum, simul-
atque in nihilum redigitur? Nonne totus
denique homo esse definit? Sola fama post
funera durat; sola virtus nescit mori; solum
honestum nomen laudes etiam suas in se-
pulcro retinet. Ideò factum, quod gentes
antiquissimæ in condecorandis & cele-
brandis demortuorum encomiis haud pa-
rùm sollicitæ fuerint, sapienter judicantes,
viventium non tantùm; sed & defuncto-
rum esse habendam rationem, quæ ma-
gnitudinem rerum gestarum, & merita eo-
rum exæquet, ut in mortuis gloriosa no-
minis fama perennet, alisque virtutum
subiecta in seram posteritatem se diffun-
dat, animusque nunquam eorum exole-
scat, quos natura tanquam prudentiæ ac
doctrinæ exempla in illustri hoc mundi
Theatro olim collocaverat. Quam ob cau-
sam Athenienses, in primis autem Romani,
pru-

prudentissimo consilio & instituto ducti,
varios honoris titulos viris dudum è vita ex-
cessis detulerunt, statuas publicas erexe-
runt, monumenta posuerunt, atque hanc in-
scriptionem superaddi jusserunt: POSTE-
RI IMITENTUR VIRTUTEM!
Laudabile profectò institutum! quippe
quo illi populi ansam quasi præbuerunt, ut
videntes mortuorum sedulò recordari, filii
paternas virtutes æmulari, posteri Majo-
rum honores consecrari, juniores in vitam
& doctrinam prudentum, tanquam in spe-
culum intueri, horumque laudabiles cona-
tus, si non penitè imitari, saltem admirari
discerent. Et non immeritò: impium est,
imò grande nefas, illorum laudes silentiò
transire, turpique oblivionis situ contumu-
lare, qui pro bonis publicis summos infra-
ctò animò subierunt labores, qui consiliò,
qui prudentiâ, qui sedulitate humano ge-
neri non solùm præfuerunt, sed etiam pro-
fue-

fuerunt. Talis fuit, ne longiùs abeam, No-
ſter BEATUS SCHRIMPFIUS, qui tum
annorum magnitudine, tum meritorum
multitudine vix ullum ſibi habet ſimilem;
cujus inopinatum, quamvis ſerum exceſ-
ſum, omnes ſeriò indolent: lugent memo-
rabile virtutis exemplum docti homines, lu-
get Patria Decus ingens; lugent ereptum
ſibi magni Principes ſenatorem; Dresda
deplorat Conſultorem; Vienna queritur ra-
rum rari exempli Virum. Nos verò in com-
muni luctu quid aliud agamus, quàm ut
memoriam Viri hujus incomparabilis fan-
cté colamus, renovemus & conſervemus.
Age, age ergo, O veneranda Poſteritas, huc
age, quæſo, & accuratiùs in Viri hujus bene
transactam vitam inquire, ejusque virtu-
tes, tanquam in ſpeculum, penitiùs intuere,
mecum jure de ipſo affirmaveris: Vixiſſe
EXEMPLAR PERFECTUM CIVI-
LIS & AULICAE PRUDENTIAE.
Qua-

Quare ad tanti Viri effigiem ut nos compo-
namus, ejusque virtutes planiùs pleniùsque
intelligamus, commovet me, in hoc fugge-
stu stantem, vivida adhuc in mortuum Be-
nefactorem Pietas, post cineres inextinctus
amor, post tumulos insepulta observantia,
uberius in ejus laudes incedere. O utinam
mihi nunc vel aliqua Tullii facundia suppe-
teret, vel minima Demosthenis svada dicen-
ti subveniret, quò **SCHRIMPFIANUM**
NOMEN dignè posteris commendare pos-
sim ! Sed novi nihil **SCHRIMPPIO** di-
gnum à balbutienti lingvâ afferri posse: fa-
tius est de eo tacere, quàm parùm dicere.
Ne tamen penitùs fileam, pro debito erga
piè defunctum amore agam, humerisque
meis imponam hoc negotium, cui si ingeni-
um meum parùm decoris addere potest, il-
lustris tamen hic coetus multum splendo-
ris conciliabit. De vestra igitur benevo-
lencia & facilitate A. O. O. O., quam sum-

mopere expeto, omnia mihi præclara atque
eximia promitto, nullusque dubito, quin
verba de tanti Viri memoria quàm lubentis-
simè fitis audituri. Favete lingvis, favete
animis !

Vnde igitur in TE ornando & laudando,
BEATE SCRIMPFI, incipiam? an à patria,
& genere, & parentibus? Hæc certè talia
sunt, ut nesciam, ipsane TIBI attulerint lau-
dem, an verò à TE acceperint majorem. Et
quanquam in præsentis sermonis genere mi-
hi constitutum non est, multùm versari in
iis, quæ ipsius ætatem præcesserunt, injuri-
us tamen essem, si ejus Patriam Parentesq;
siccò planè pede præterirem. Indulsi
NOSTRO BEATO hanc fortuna for-
tem, ut Austria nascendi locum præberet;
in quo archiducatu oppidulum ad amoenis-
simam Danubii ripam situm est, variis natu-
ræ deliciis & cunctarum rerum copiâ afflu-
ens: WESENDORFFINUM vocârunt
inco-

incolæ ; ad cuius laudem multum refert
postquam nascenti **SCHRIMPFIO** cunas
apparavit , tenerosque artus molli excepit
gremio. Quintus hujus seculi ad finem
jam decurrentis volvebatur annus, cum no-
bile hoc decus in lucem prodiens melioris
conditionis vitâ frui inciperet. Generis
originem traxit ex antiqua familia Hunga-
rica, cuius Majores tum nobilitate, tum au-
toritate jamdiu floruisse constat. Pater
mihi nunc nominandus est , qui & nomen
filio dedit, & cum nomine virtutes, quibus
ipse claruit, in hunc propagavit. Nomen
ei fuit **JONAS SCHRIMPFIIUS**, Vir
in variis munerum functionibus meritissi-
mus. Nec prætermittenda mater, **ANNA**
appellata , è clarissimo Nassibliano genere
oriunda, Matrona virtutibus sexûs sui orna-
tissima, & vel ideò singulari laude comme-
moranda, quod tam nobile pignus conce-
pit, edidit, fovit, aluit, educavit: in eo tamen
in-

infelix, quod lethali morbo consumpta fuit,
antequam à filio, quem tenerrimè amabat,
quicquam geri potuit, quod laudes singu-
lares meruisset. Perstringamne paucis ipsi-
us initia discendi? Faciamne puerilis edu-
cationis mentionem? Quidni: unica tan-
tùm Patris cura erat, qui nobile depositum
servaret, quique, ut esset, cum DEO dede-
rat, ut bene esset, curaret. Vix unus alter-
ve excesserat annus; vix certum figebat
pedem tenellus, iis artibus, quibus ætas pri-
ma informari solet, præsertim verò Pietatis
studiò, imbuebatur. Et ut in herbescente
adhuc segete, certa prope spes messis futu-
ræ apparet; ita nemo tunc erat, qui non
statim ab ineunte & primulâ ætate talem
(qualis postea fuit) futurum auguraretur.
Quapropter id summò agebatur studiò, ut,
nullâ interjectâ morâ, à teneris ungviculis
præessent moribus præclarè fingendis ido-
nei Magistri. Speculum ingenium est; &
ut

ut argilla, ita juvenus, quam capit imagi-
nem, reddit; mollis est & quasi cerea hæc
ætas, signa melioris culturæ facile admit-
tens. Permagni igitur refert, in quos quis-
que incidat aptos magistros, veram ac bre-
uem viam ad gloriam enitendi common-
strantes. Factum in SCHRIMPPIO:
nam nactus juventæ suæ egregios forma-
tores, quorum sedulitate in dies majores
fecit progressus, necessariisque præceptis
instructus ad cultum pervenit emendati-
orem. Fundamentis primorum studio-
rum feliciter jactis, primum fecit iter Ra-
tisbonam, & in celebri, quod ibi est Gym-
nasio, humaniora ad optatum perduxit fi-
nem. Crescentibus annis crevit etiam ar-
dor discendi. Missus Altdorffium eo
tempore, quo ferme tota Germania bello-
rum incendio fumabat, & tot exercitibus
inundata, tot cladibus devastata miseram
præ se ferebat faciem; nihilo secius tamen

B

se-

secum ferio constituit, per omnia doctrinarum genera non perfunctorie, sed studiose; non cursorie sed ingeniose versari. Præsertim autem foecundum ejus & velox ad disciplinas quascunque arripiendas ingenium, scientiis delectabatur. In lingvis addiscendis non parum desudavit, in primis autem Latinam, universalem orbis interpretem, sibi adeo familiarem reddidit, ut Minervam in ejus cerebro sibi domicilium fixisse crederes: DEVM immortalem! quam promptè, quam expeditè, quam ornatè, quam doctè eam prolocuturus pronuntiabat, non hallucinabatur, non hæsitabat, non impingebat: quin & Græcas literas non primoribus (quod ajunt) labris delibavit; sed eas ad unguem calluit. Quid dicam de Poësi, quâ ita excelluit, ut parem haberet neminem? non ipsi arduum erat, jam ex Homero in colloquiis differere; jam ex Virgilio versiculos memoriter citare;

re ; jam ex Horatio Odas Satyrasq; recen-
fere ; modò Juvenalem , modò Ovidium
imitari. Quid, quod naturalis Philosophiæ
myſteria non à limine ſalutavit ; ſed in ipſa
ſophorum adyta infatigabili, nec infelici o-
perâ penetravit. Juris verò prudentiæ to-
tum addixit animum, & tanto cum ardore
ei incubuit , ut eam in ſuccum & ſangvi-
nem penè vertiſſe , eamque unicè totâ vi-
tâ egiſſe videretur. Cùm igitur aliquam-
diu Altdorffii verſaretur, ejusque ingeni-
um omnium famâ & oratione celebrare-
tur, ad alia doct̄inarum emporia, tanquam
ad mercaturam bonarum artium , profe-
ctus eſt ; Lipſiam præ cæteris Jenamve
delegit, ubi ſuas ingenii divitias haud vul-
gariter explicuit. Nec tamen hæc inter-
roſeta diu ſe continebat , invidebat veluti
vicinis Patria ſuum quod peperat decus,
repetebat quod dederat nobile germen,
nec dimiſſura unquam , niſi tot illuſtrium

Virorum favor eum avocâisset. Satis ha-
bebatur idoneus, qui versaretur in publi-
cis functionibus : quare & Serenissimus
Dux Saxoniae FRANCISCUS JULIUS
(piæ memoriæ) SCHRIMPFium à se-
cretis sibi adjunxit ; quam spartam sibi
clementissimè demandatam ille indefessò
studiò exornavit : in rebus suis gerendis
eximiam tam in bello,quàm in pace mon-
stravit assiduitatem, Virumque se præstitit
undique & gravem & cordatum. Ita e-
venit, ut principes non tantùm admiraren-
tur ipsum ; sed in oculis quoque ferrent, ac
per momenta temporum negotiorumque
in magno haberent pretio. Ecquid di-
cam, Auditores ? NOSTER ipsos Proce-
res in sui admirationem traxit, & ita
traxit, ut dulcis quædam inter illos nasce-
retur contentio, & alter alteri Virum hunc
quasi invideret. Nec sine causa : Quis
enim in negotiis tractandis dexterior
SCHRIMPF-

SCHRIMPFIO? Tanta erat in dictis fi-
des, quanta in functionibus æquitas, ut
neutra alteram excluderet, sed utraque u-
trique congrueret & arctissimè jungere-
tur. Nihil per sordes, nihil per dolos, nihil
per fraudes, nihil per simulationes agebat;
sed incorruptò candore, apertâ fronte, ma-
nibus puris, rectò incedebat animò. Quâ
dexteritate plurimùm accessit ad sumam
Viri commendationem, quod nunquam vi-
tiis fuerit corruptus, nunquam divitiis. Fir-
mus semper & constans in fide muneris
& in amore probitatis ad extremum usque
vitæ spiritum perseveravit, operamq; non
ad res inanes, sed ad maximè utiles neces-
sariasque contulit, suamque auctoritatem
honestâ famâ confirmavit. Fama de illius
prudencia, eruditione, integritate, passim
percrebuit, atque AULÆ CÆSAREÆ
sic explorata fuit, ut in Comitiiis, eo tempo-
re Ratisbonæ institutis, inter illustrem A-

B 3

gen-

gentium ordinem excelsi Judiciū Aulici re-
ciperetur, ipsiq; maximo omnium applau-
su concederetur. Quid fit? Vix amplif-
simum hunc dignitatis gradum adscende-
rat, statim in hoc excelso Judiciō dedit sin-
gularis prudentiæ specimina, ut ab omni-
bus ei daretur testimonium Viri prudentis
& circumspecti. Quis enim nescit, quan-
tā prudentiā in gerendis consiliis polluerit?
Quem latet, quantam provisionem arduis
in rebus tractandis adhibuerit? Quem fu-
git, quantā moderatione, quantō studiō,
quantā consultatione negotiis operosis fu-
erit intentus? Nihil improvidē faciebat,
nihil imprudenter; sed omne, quid æ-
quum, quid justum, quid bonum, accuratē
circumspexit. Centoculum in consultan-
do præsentabat Argum; Centimanum in
exequendo Briareum. Vidimus illum in-
tricatas Procerum quæstiones, profundos
Controversiarum casus, profundiores Ap-
pel-

pellationum controversias, operosas Pro-
cessuum rationes, sanctiores consiliorum
curas tanto expedire animo, ut in labore
voluptatem, in molestiis delicias, in nego-
tiis otia eum possidere crederes. Omne
susceptum, omnisque actio vacabat teme-
ritate. Quicquid agebat, prudenter age-
bat; quicquid suscipiebat, bene perpende-
bat; quicquid perpendebat, sedulo con-
sultabat; quicquid consultabat, serio statu-
ebat; quicquid statuebat plausibiliter tan-
dem tentabat exequendum. Nec vana
fuisse coepta, nec irrita vota: rationes ple-
rumque successui respondebant felicissi-
me, nec aliter nisi ex voto cadebant. Hæc
fuit causa, quare **NOSTER BEATVS**
non saltim Proceres in Aula, sed & Proce-
res Imperii ad se converterit. Ut verò in
rebus Vir ille eximius felici usus est succes-
su: Sic etiam in honoribus. Facto Sere-
nissimorum ac Potentissimorum Electo-
rum

rum Saxoniae Consiliariò, nomen & munia
Residentis (ut vocant) ei delata sunt, ut à
Consiliis in AULA CÆSAREA commo-
rari, partes Electoris tueri, & momentosis
de rebus consulere deberet; hujus functi-
onis nemo aptior & dignior optimo Prin-
cipi visus fuit quàm SCHRIMPFFIUS.
Quapropter creditum fuit NOSTRO hoc
arduum munus: quam dignitatem, quæ
munia circiter 50. annos præclarè implevit.
Et quod memoratu maximè dignum est,
quinque Electoribus Serenissimæ Domûs
Saxoniae, aliis post alios, fidelissima quæque
præstitit officia, nec unquam illorum mor-
te in muneribus sibi creditis sensit mutati-
onem: sed titulis auctus majoribus in ea
statione, quam Viennæ nactus erat, firmi-
ter permanfit. Nec mirum: siquidem
Saxoniae non tantùm ingenti emolumen-
to: verum etiam Germaniae singulari fuit
ornamento. Mihi credite, Auditores,
cre-

credite, inquam, loquor enim quod non o-
pinor, sed certò scio : non accepi auribus,
sed oculis : neque semel atque iterum vidi,
sed quoties se offerebat occasio, & quidem
sæpiùs, ut omnem tam assentationis quàm
amplificationis suspicionem abesse oporteat.
Nemo fuit unquam, qui sibi non
sumserit **BEATUM NOSTRUM** variis
in casibus frequentandum. Erat quippe
domus sua commune quasi Oraculum, à
quo Populi, Principes, Proceres, consilia
petebant, ejus de bono & æquo sententi-
am, cùm usus veniret, exquirebant, eum
frequentibus literis compellabant, sollicitis-
que votis responsorias expectabant. Etsi
verò tam arduis fuerit muneribus admo-
tus, & negotiorum multitudine cumula-
tus ; tamen nec labore fractus, nec mole-
stis suppressus. Rogatus sententiam ne-
mini denegavit ; juvandi studiò cedebat
nemini, multos quidem superabat. Felix
C sibi

sibi videbatur ; cùm causas innocentium
posset agere ; ipse malum potiùs perferre,
quàm inferre , falli quàm fallere maluit .
Hanc ob causam in Aulis tum Cæsaris, tum
Electoris gratiosus, ipsisque Augustissimis
Romanis Imperatoribus adeò acceptus,
ut ei haud vulgariter favere siveverint , sed
& insignes Comitis Palatini honores ei cle-
mentissimè obtulerint. Verum enim ve-
rò , quò magis in SCHRIMPFI laudem
vitamque beatè transactam mentis aciem
converto, eò major dicendi copia laudum-
que seges nascitur, nec video, quâ ratione
singula quæque sim dignè affecuturus. Pi-
ctores igitur imitabor , qui terrarum glo-
bum in tabula pingunt , non ut æquent,
sed ut quodammodò repræsentent. Po-
stulas imaginem, auditor? Cogita, quæso,
Virum in summo loco nec austerum, nec
superbum ; in summa eruditione eruditus
nec adversum, nec invidum ; In Politicis
nego-

negotiis semper christianum, in christiano
semper divinum. Talis, talis fuit NO-
STER BEATUS, qui gloriæ magis ca-
pax erat, quàm avidus: altiora non fraude
affectabat, sed laude acquirebat; nihil sibi
seposuit, gratâ mente quod cuique debe-
ret, professus est, summamque eruditio-
nem, prudentiam, facundiam, non ad calli-
dum versatumque acumen; sed ad com-
moda humani generis retulit, simul atque
utilitatem magnâ omnium approbatione
commonstravit. Quid, quod nihil un-
quam dixit, cuius dicti eum poeniteret; ni-
hil fecit, quod errore agnito infectum vel-
let: ipse sibi fuit rectè agendi auctor & arbi-
ter; scientiâ virtute, non virtutem scientiâ
metitur est. Taceo alia, & consultius mihi a-
cturus videor, si illa silentiô venerer, quàm si
voce indignâ ad efferenda ea aggrediar. Il-
lud tamen silentiô non præterire meum

C 2

est,

est, per totam vitam nihil non humanita-
tis ac modestiæ resplenduisse. Quid?
Annon summa in vultu amoenitas? An-
non summa in cultu vitæ & negotiorum
tractatu modestia, quâ nemini sese ante-
ponebat, neminique molestus erat? Non-
ne mores recti, animus castus, invicta pro-
bitas, decora gratia, in **NOSTRO** conspi-
ciebantur? nihil difficile, morosum nihil
præferebant ejus animi dotes, mirâ semper
comitate temperatæ, velut in auro gemæ
re lucebant pariter ac splendebant. Mit-
tam loqui Viros, qui eum assiduè accesserunt,
ingenuè fatentes, eum in admittendo
obvium & expositum, in audiendo huma-
nitatis plenum, in dimittendo se omnibus
æquum præbuisse. Quid multa? In omni-
bus rebus se gessit ita, ut non tantum hu-
manus, non tantum modestus; verum et-
iam benignus ac pius & videretur & esset.
Tanta enim in **NOSTRO** extitit beni-
gnitas

gnitas, ut non admirationi magis, quàm imitationi esse possit. Eccui unquam suam domum, aures, arcam patere noluit? Cuine aut victu benignè fecit, aut pecunia? Pauperes alendos ultrò suscipiebat, & stipem petentibus præbebat liberaliter, hunc demum existimans legitimum fortunarum usum, si egenis consulatur. Impium putabat esse, atque illicitum, si ullius miseriam à se sine ope dimitteret; perinde ac Titus Vespasianus, quod indignum Principe censuisset, si quisquam tristis à vultu suo discederet. Quid de religione in Deum? Veram non falsam; sinceram non fucatam Pietatem in corde fovebat. Numen divinum quàm ardentè colebat? quàm sæpe innumera ejus bona paternamque curam in hac orbitate, animo secum repetebat? quàm sedulò quotidianas obibat preces? quàm sollicitè in se inquirebat? quàm attentè videbat, ne limites

honestatis, ut Christianum decet, transgrederetur? Paucis loquor: maximum virtutis fructum in conscientia collocandum putabat, atque quod verissimè de eo dictum volo, mortis examen ad vitæ normam, & vitæ examen ad mortis normam instituebat quàm diligentissimè. Ut verò vices rerum nostrarum omnium sunt: ita etiam BEATI NOSTRI felicitas multis adversis fuit interpolata: sæpiùs sævissimi belli discrimina, pestis horribilis atrocitatem, fugæ incertæ calamitatem experiri coactus fuit: quin & crebrorum itinerum molestias, omnisque infortunii faciem masculè pertulit, quid pertulit? fortiter vicit? quid vicit? plenè triumphavit. Unicum ex recensitis vestris subjiciam oculis. Tertio & octogesimo seculi hujus vergentis anno, cùm in ordinariis negotiis iter faceret, atque Aulæ Cæsareæ subsequendæ causâ Ratisbonâ Aurelianum Danubio naviga-

ga-

garet, navis eò loci nautæ neglectu, nescio quomodo, ad vastum pontis jugum allisa, præsentissimam mortis imaginem ostenderat: quassatâ prorâ, nave aquis undique irruentibus repletâ, navigandum tamen erat. Qua in re quid curæ, quid miseræ, quid periculi oculis obversetur, conjectu facile est. NOSTER tamen hæc fata, tanquam coelo missa, eo quo par erat animo, non solum excepit; sed etiam tam fortem atque intrepidum se præstitit, ut ne minimum consternationis affectum præ se ferret, præterquam quod in hæc proruperit verba:

O JESV SEMPER FIAT TVA SANCTA
VOLUNTAS!

O generosam magnanimitatem! o christianam pietatem! Laudent alii Anaxagoræ magnanimitatem, & Xenophontis animi constantiam alii in coelum efferant. Nos majore laude SCHRIMPFFII tum animosi.

mositatem, tum pietatem extollemus, co-
lemus, posteris narrabimus, deprædicabi-
mus. Quotus autem quisque mortalium
tam rudis & excors est, qui non intelligat,
vitam virtutibus effici beatam, simul ac re-
tineri? Virtutem sequuntur citatis pedibus
Præmia, quæ faustos vitæ progressus largi-
untur. Et si præstantes Viros fortunâ
metiri fas est, non virtute, **NOSTER** cer-
tè præ cæteris erit felicissimus his in ter-
ris dicendus, quippe cui in usura vitæ tot
honores, tot opes, tot bona contigerant, ut
majora vix sperari possint. Quater factus
Conjux; ter viduus; quater & decies Pa-
ter; quinquies Avus, & ferè totidem Pro-
avus. Vitam transegit seram, ac divino
suffultus Numine canam, tranquillam, ho-
noratamque attigit senectutem. Sene-
ctam si cæteroquin spectes, quid nisi mor-
borum omnium ac miseriarum sentina est?
imò ipsa, fides si Comicis habenda, senectus
mor-

morbus. Erras, erras o homo, si tale quid-
piam de nostro asserueris. Nunquam gra-
vi affectus morbo, nunquam consumtus,
nedum ullius doloris acerbitate vexatus:
hac in re ipsum etiam eloquentiæ Princi-
pem, de se hunc in modum gloriantem:
*Sextum annum ago & octogesimum, nec ta-
men me planè enervavit aut afflixit sene-
ctus, multis parasangis superavit. Vah!*
quàm paucis contingit hæc felicitas! ma-
xima pars hominum in optimo ætatis flo-
re deficit; paucissimi tantorum annorum
seriem attingunt, ne dicam adæquant. Vi-
ta verò, licet etiam longissima, nemini in
perpetuum datur, sed solùm ad tempus
creditur. Tantùm commoramur, non
verò habitamus in hoc mundi domicilio.
Quod cùm & NOSTER BEATUS se-
cum assiduè cogitaret, demum vitæ fatur
colligebat farcinas; suprema ordinans, ve-
stes afferri ferales jubens, Vxori & Filio u-
nico

D

nico

nico lacrymas & fletum miscentibus ultimum dicebat vale. A suis admonitus, ut sibi suisque parceret, nec tali sermone furorū luctum auget, intrepidè dixisse fertur: *semel moriendum esse*. Propterea **NOSTER BEATUS**, membrorum viribus magis magisque attenuatis, piè ac placidè ad fatalem horam sese componebat, lætusque, Simeonis instar, ^{ἐν Σανδαρίαν} expectabat, usque dum animus è corporis domicilio, in quo annos *nonaginta & menses quatuor*, tanquam hospes præstantissimus commoratus fuerat, inter suspiria & lacrymas optimorum ad beatorum sedes felici cursu enigraverit. Defecit tandem Vir ille incomparabilis; excessit florente famâ; evasit plenus spe, plenus fide, plenus dignitate, plenusque honoribus. O funestas Januarii Calendas, quæ tanti Viri obitum attulerunt! O incomparabilem **SCRIMPFI** jacturam! Parum abest, quin Viri
hujus

hujus excessu dolori succumbamus, nec
suppetit nobis medela, quâ dolorem ali-
quantisper leniamus. Tantò gravior ja-
ctura est, tantòque acerbius vulnus, dum
intelligimus nos amisisse Virum, quem
majorem vix sperare, meliorem vix expe-
tere liceat. Meritò nostra deflemus fata,
ac graviter indolemus, quod SCHRIM-
PFIO in posterum esse orbatu debeamus.
Non TIBI tamen, BEATE, invidenda
fors, quam nactus es: Optima TUA fors,
felix TUA conditio, quâ frueris sempiter-
no ævo, securus laborum, expers miseria-
rum, quibus hac in vita defatigamur. O
nos infelices, qui adhuc in mundano æru-
mnarum salo fluctuamus, multisque curis
pressi navigamus! TE verò felicem, qui,
confecto vitæ cursu, in portum coelestis
patriæ TE refers, & sublato malorum ti-
more, nihil adversi sustines! portum tenes,
in tuto es, nihil naufragii TIBI timendum;

D 2

NOS



nos verò jaçtamur in alto, incerti quorsum
nos delatura fit tempeftas. Felix, cui da-
tur triftia cum lætis, terrena cum coelefti-
bus, caduca cum æternis commutare ! In
quo numero collocatus eft **NOSTER**
BEATUS, nec habet, quamobrem quera-
tur in pofterum, fed quasi jugo dejecto
quietus & liber illuc evafit, ubi eum æter-
na undique circumfundunt gaudia. Jam
verè vitam agis, atque ex coelefti specula
despicias fortunæ ludibria, rerumque no-
fttrarum vices contemptui habes, nec quic-
quam mali **TE** ampliùs tangit & angit.
Gratulamur ergo felicitati **TUÆ**, quod e-
reptus hifce temporum miferiis perfrueris
fecuritate, & ita frueris, ut neque finem
habitura fit voluptas, nec tædium perpe-
tuitas. Salve nunc ac æternùm vale. No-
fttrum erit, quod unicè adhuc possumus,
TUAS infignes virtutes ac merita & ad-
mirari candidè, & pofteritati commenda-
re.

re. Morte TVA mortalitas magis quàm
vita est finita : Vivis enim in cœlo ; Vivis
in Filio, vivam Patris imaginem præsentan-
te, & multis jam juventutis in Parentum
laudes surgentis speciminibus efflorescen-
te ; Vivis in amicorum memoria ; Vivis, imò
vivis, vivesque semper in animis nostris.
Nominis TUI fama, ad quoscunq; tandem
perveniet, laudibus celebrabitur ; merita
TUA nunquam reticebunt posteri : honor
& gloria TV Adurabit, per secula ibit TVA
fama, non urnis aut loculis contumulanda.
Tu verò, DEVS, Stator & Conservator hu-
mani generis benignissime, nostri miserere,
& pronus accipe suspiria, quæ pro totius
inclytæ SCHRIMPFIANÆ Domûs sa-
lute piò effundimus pectore. Solare, quæ-
sumus, quotquot obitum hunc graviter in-
dolent : minue lugentium dolores, & vul-
neri inflictò ipse medere. In primis Vidu-
am mœstissimam, nunc Coniuge incom-
para-

D 3

para-

parabili orbatam, confirma, corrobora, ac
diuturnâ felicitate pensa, quod ei morte
subtractum est. Filio quoq; Nobilissimo vi-
tam præsta & incolumitatem, juventutis
suæ annos vegeta, demptosque Parenti an-
nos ei adde, nec, nisi serò, Coelitum infere
Coronæ. Tandem ad TE, BEATE
SCHRIMPFI, me converto, & TE, quan-
do omnis alloquendi potestas erepta mihi
deinceps est, nunc ultimò alloquor, tibiq;
tristis ultimum acclamo Vale!

*Ergo vale, salve; dormi, placidusq; quiesce,
Ossa tegat tumulus, fama per astra volet.
Transseat in cineres corpus, solvatur in ortum,
Suave tamen Schrimpfi nomen in orbe
viget.*

*Suscipe pro meritis lacrymas, pro munere
grates:*

*Nos amor immemores non sinet esse TUI.
Flevimq; hunc obitū; sed quid flevisse juvabit?
Præ lacrymis nequeo dicere plura, satis!*

D I X I.

NOBILISSIMO IUVENI
ADAMO
SCHRIMPPIO
MAGNI PATRIS
FILIO IN STUDIIS AC VIRTUTIBVS
AEMULO PRAECLARO
MENSE TERTIO AB ILLIVS OBITU
DIEM PARITER OBEVNTI
MATRI SVPERSTITI LVCTVM INSVPERABILEM
BONIS OMNIBVS DESIDERIVM RELINQVENTI
PERPETVAE MEMORIAE
GRATIQUE ANIMI MONVMENTVM
POSVIT MOERENS
ERASMVS SIGISMVNDVS
ALKOFER, Ratisbon.

NOBILISSIMO INVENI
ADAMO
SCHERLAMPFIO
MAGNI PATRIS
FILIO IN STUDII AC VIRTVTIBVS
ARMILO PRAECLARO
MENSE TERCIO AB ILLVS OBITV
DEM PARTIBVS SECVNT
MATERI SVPERSTITITIVVM IN SVPER ABILITM
BONIS OMNIBVS DESIDERVM RELINQVENDIT
PERPETVAE MEMORIAE
GRATIONE ANIMI MONVMENTVM
POSUIT MORIBVS
ERASMVVS SIGISMVNDVS
ALIKOFFER, Ratisbon.



E H E U!

Quò prolapsa nostra fata!
Luctus luctum, jactura jacturam excipit?
Nondum lacrymæ oculis exaruerunt nostris,
vicissim suboriuntur novæ :

Nondum vulnus nuper inflictum cicatrice
obductum vidimus,
Illud gravi ictu denuò rescinditur.

Clariùs loquor :

Vix *Beati Schrimpfii* fata nuper deflevimus,
Novus lacrymarum nos obruit fluctus
Novusque luctus.

Quippè

Mors mortem sequitur, funera funus agit.

Fama insperatò increbuit,
Schrimpfium Schrimpfio morte successisse :

Querela passim auditur,
Nomine de *Schrimpfiano* tandem actum esse!

O tristia fata!
Adeoné in *Domum Schrimpfianam* severiora
Infortunii mala grassantur ?

E

Fili-

Filiusne cum Patre, & Pater cum Filio
morte simul occumbunt ?

Eccur duplicem, aliamque post aliam,
experiri cogimur ?

Enim verò

Fata quidem accusare possumus,
sed immutare non possumus :

Stant dura semper & inexorabilia.

Pallida mors

æquo pulsât pede

Pauperum tabernas Regumque turre;

Nulli parcit ætati, nullique honori.

Nam mors est,

bene retinet nomen & omen,

M O R S

Mordet Omnia Rostro Suo.

Ecce !

Quàm subitò falce suâ

Nobile Parnassi germen doctis ex Pimplis

abscat, avellit, abrumpit !

Quàm truculenter è conspectu nostro

No-

Nobilem Musarum unicumque Matris filium
secum rapit & capit!
Paternos huic honores & annos longiores
ex animo precabantur omnes:
sed mors omnium prævertit vota,
omnium dimovit calculos;
Dum enim annorum numeros non congerimus
& addendo multiplicamus,
illa subtrahit ac dividit
infelici Arithmeticâ.

Exemplo est,
ne longius abeam,
Juvenis ille singulari laude commemorandus

ADAMUS SCHRIMPFIIUS

Gente ac mente Nobilis,
Artibus ac moribus noscibilis,
Omnibus virtutibus clarus,
Amoenus ingenii dotibus,
Omnis scientiæ capax, omnis avidus,
Nominis hujus ultimus hæres.

Jam ex asse cœli hæres

Bonorumq; coelestium perpetuus possessor,
Dignus profectò longiori vitâ, nisi dignior
fuiſſet æternâ :
Hujus præmaturū, quamvis beatum excessum
Omnes ferio indolent.

Luget
Pallas suum honorem
Virtus suum amorem
Juventus suum delictum
Mater suum solatium.

Stupet illa, gemit ista, lacrymas hæc effundit,
prodens his vocibus dolorem :

MEUS HEU! MEUS ILLE IACET!
Gloria mea transiit, meus unicus amor occidit,
Gaudiumque meum periit unicum!
O flebile funus!

Si præsentem non solùm jacturam intueri,
sed ereptum simul Posteritatis solatium
mecum lubet contemplari.

Cogitemus, quæso, cogitemus ;
quantis eum pollicitis monstraverat

præ-

præceps & humanæ fragilitatis sæpiùs oblita
expectatio ?

sperabat Mater Vidua,

& quidni ?

Messis erat in herba.

Quisque de illo magnam concipiebat spem
magnamque fiduciam;

& non immeritò :

erat enim

Amor Patriæ,

Splendor Familiæ,

Honor sui Ordinis,

Exemplar Virtutis,

Decus Musarum,

Matrisque desiderium.

Sibi de hoc nobili germine gratulabatur

tota Familia,

exultabat quoque Posteritas :

Et cur non ?

Magnum Parentem indoles expresserat,

Venturos honores ætas juvenilis promiserat,

Patris vivam imaginem virtus ostenderat.

Quid multa?
erat eheu! erat
superstes adhuc Paternæ virtutis furculus,
Vivumque Materni amoris Pignus;
Quo abscisso, quo sublato,
Tota hujus *inclytæ Familiæ* stirps
imis radicibus evulsa jacet,
Totumque *Schrimpfianum nomen* hoc funere
esse contumulatum novimus.
Nil nisi *Matri* luctus,
Inclytæ Familiæ lacuna,
Omnibus *Bonis* desiderium,
Præceptoribus spes inanis est relicta.
Vidimus consecratam futuro seculo arborem
folia abjecisse, fructum ferre
non debuisse.
Vidimus, abscissâ arbore, furculum nihilo secius
in altum excrevisse;
sed nunc præter spem exaruisse.
Novum prodigium!
Ver sibi hyemem adjungit.

Omnes

Omnes dum arbores sua emittunt folia,
Arbor nostra spoliatur foliis.

Flores dum alii florent,
noſter flos deflorefcit.

Florens deficit, cum florere poſſet ulterius,
Virens marcet, cum virere poſſet longius,
Crefcens decreſcit, cū crefcere poſſet amplig.

Trifte vernale tempus,
Quò florem juventutis præter ſpem videmus
elangveſcentem.

Vix maturuit, rurfus interiit:

Aſt hæc maturarum rerum conditio eſt
citò mori.

Oſtenſus eſt juvenis tempori, & redditus
æternitati.

Nam hæc illum mundo

Commodabat, non verò dabat.

Postquam oſtendit, quod ſuum erat, repetiit.

Nec mirum:

In mundo ille erat, non de mundo,

Mundum igitur tempeſtivè deſeruit,

ante-

antequam defereretur à mundo.
Facto mortis compendio,
Levi annorum dispendio
Celeriter pervenit ad vitæ exitum.
Ipso vere natus est ; ipso vere denatus ;
In vere novissimo aliquando renasciturus.
Ossa interim magnæ matris utero clausa,
molliter quiescunt,
donec suo tempore revirescant.

O BEATE,
Verus fuisti ADAMUS,
Nomen in re habuisti & omen :
E terra factus es : terræ vicissim redditus :
Terra fuisti ; in terram redactus
Terram terra cepit.

Discite mortales
Quàm totus homuncio nihil sit.
Vobiscum cogitate,
Quàm labilis vita, quàm incerta mansio:
Sæpiùs Natalis est fatalis,
Quâ luce orimur
Eâ aliquando morimur. Exper-

Experto credite *Nostro*,
Quem una dies nasci vidit,
viditque rursus una perire.

Videlicet

Vivere coepit d. xxiii. April. cio ioc LXXVII.

Vivere desiit d. xxiii. April. cio ioc xcvi.

Memorable est,
Parentem vitæ occupatæ annos 91 implevisse,
Filium, inverso tantum calculo, 19 vixisse:

Numeris non differunt; sed saltem valore.

Uterque pares, uterque impares;
Pares quidem in morte; sed impares in vita,
Ille in senectute; hic in juventute
mortalitatem cum immortalitate
commutavit.

Sic est:

Quem DEUS amat, moritur juvenis.

Factum in *Nostro*:

Nam ille gratus inveniebat
in juventute mortem; in morte coelum;

F

in

in coelo denique vitam.
Iucundum quoque putabat, Patrem praemissum
sequi,
& secutus:

O ter quaterque felicem,
qui cum Patre coelestibus perfrueris deliciis,
& *Beatus cum Beato* jam conversaris.

O sit mortuus, qui ita vivere potest!

Gratuletur tristis mater

Nato ac Marito de tanta felicitate:

Nos ab ipsis vivere discamus,

Vt etiam post mortem sic vivamus.

Interim

salvete animae sanctissimae,

Vivite per mortem vestram feliciter,

brevi vos videbimus.

O quid moramur, miseri?

evolemus! evolemus!

Sequamur *Beatos*, qui jamdum praecesserunt,

Lugeamus, qui tardè sequimur,

& adhuc mundo inhæremus.

Jam

Jam abi, Lector,
fatis legisti, quæ fatis dici nequeunt:
Perpetim admirare *Schrimpffianum* nomen
ejusque memoriam sanctè cole,
renova & conserva,
Vt *Schrimpffius* in mentibus nostris
semper vivat.

Vivit imò vivit
Schrimpffiani nominis fama in orbe,
ejusque memoria in animis nostris
VIVAT! VIVAT! VIVAT!



PROGRAMMA.

* * *

IONAM LAUDAMVS IN IANO
NON INANI LITTERARVM TRANSPPOSITIONE
SED PROPTER EXEMPLVM PRVDENTIAE
NEQVE SIC MONSTROSA EST FACIES
QVOTIES APPARET BIFRONS
PROSPICIT FVTVRA
RESPICIT AD PRAETERITA
IN PRAESENTIBVS HAERET
RERVM AESTIMATOR SERIVS
IN FLORE AETATIS CONSTANS ET INTEGER
QVA ENIM PARTE SENESCIT IN VVLTU
EX OPPOSITA IUVENESCIT
CVM SAECVLO FACTVRS PARIA
TALIS ERAT VIR INCLITVS

IONAS SCHRIMPFIVS

POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
IN AVLA IMPERATORIS CONSILIARIVS AC RESIDENS
COMES PALATINVS CAESAREVS
IN CAVSSIS PRINCIPVM ARDVIS
DISCEPTATOR CIRCVMPECTVS
INDVSTRIVS , FELIX , LAVDATVS CVNCTIS
CENTVM PROPE ANNIS VIXIT
ET QVOD RARVM
IN OMNI MORTALIVM VITA
SINE MORBO AC MEDICO

ANTE

ANTE PAUCOS VERO MENSES
ANNORVM SATVR
IN CHRISTO PLACIDE ADQVIEVIT.
SVPREMVM DEFVNCTO HONOREM
APVD NOS SERVABIT
MORIBVS ET STVDIIS CLARISSIMVS
ERASMVS SIGISMVNDVS
ALKOFER RATISB.

DIVINAE ATQVE HVMANAE SAPIENTIAE CVLTOR
PROPTER INGENTIA BENEFICIA
DOMVI SCHRIMPFIANAE GRATVS ITA FVTVRVS
INSTANTI MERCVRII DIE
POST SACRA FINITA
SOLENNITER PARENTABIT
IN TEMPLO ACADEMICO.

HVNC VT BENIVOLE AVDIANT
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS
PATRES EIVSDEM CONSCRIPTI
DOCTI AC BONI OMNES
INPRIMIS GENEROSI ET NOBILISSIMI COMMILITONES
OFFICIOSE AC PERAMANTER ORO

GEORGIVS SCHVBARTVS. D.

HISTOR. ET ELOQV. PROF.



P. P. A. D. XX. APRIL. MDCCXCVI.

I E N A E
LITTERIS GOLLNERIANIS.

Ze 3646 OK
Laudatum laudas : quæ laus rectissima
iustos,

post sparsos cineres, intemerata manet.

Laudatus sic Ipse manes, & proxima laudis
de T E scripturis hinc monimenta dabis.

CL. ALKOFERO

elegantioris doctrinæ cultori

duratura studiorum ornamenta

precatur

G. SCHVBARTVS. D.

Immemor haud quisquam nostrum est, quæ proemia cura,
Quæque pia grates sint soluenda tuæ.

Deserit ast omnes, heu fors inimica! facultas:

Quæ facit officii munera avara tui.

Illam autem incassum tristi quid mente dolemus?

Gratia prompta tibi mille aliunde locis.

Nomine dum nostro supremos solvis honores

DEFUNCTI meritis, proemia abunde capis.

Te Schrimpsî dignè cineres coluisse Beati,

Sufficit: ulterius vix tibi munus erit.

hæc

apposuerunt DNO. Auctori

Conterranei Acad.

1000

1000

1000

ULB Halle

3

004 710 657





QK. 271

INCLITO SVM
I O N
SCHRI

IN AVLA C
CONSILIARIO ELEC
ATQUE R
PER IPSOS QVINC
IN CVRSV
AC SENIO I
PIE APVD VIENN
A. D. VII IANVA
SVPREMOS

IN ACADEM
ORATIONE PAREM
VIRTVTVM
AC BENEFICIORVM
SEMPER
ERASMVS SIGISMV
RATISBO

I E N
LITTERIS GO

